





E 20 num. 11

DISSE<sup>11118 3</sup>RATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**DIFFERENTIA MATRIMONII**  
**IVRIS NATVRALIS**  
**ET CIVILIS**


QVAM  
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
*P 325*  
**P R A E S I D E**  
**DANIELE NETTELBLADT**  
POT. BOR. REGI A CONS. INT.  
ACADEMIAE FRID. DIRECTORE FAC. IVR. ORDINARIO  
ET P. T. DECANO

AD  
**SVMMOS IN VTROQUE IVRE HONORES**  
**RITE OBTINENDOS**

D. XXX. OCTOBR. ANNO C<sup>10</sup>I<sup>0</sup>CCLXXVIII.  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**CHRISTIANVS GOTTHELF BOEHM**  
ADV. DRES.

HALAE  
TYPIS GRVNERTIANIS.





V I R O  
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
**MARIANO ROMVALDO**  
EX AVREO **POTOCK**  
COMITI **POTOCKI**  
CASTELLANO DE LVBAZEW ET EQVITI  
AVREI LEONIS  
E F C.  
PATRONO SVO SVMME  
COLENDO.



VIE  
HISTORICO LOGICO EXPOSITISSIMA  
MANNU ROMA  
EX ANNO POTOCRI  
CENSITI POTOCRI  
CASTELLANO DIBARBARUM ET PORTU  
AVRUM CESSARI  
PATERONIS AVT  
COELESTIS



VIR  
ILLVSTRISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME  
COMES INDVLGENTISSIME  
PATRONE SVMME VENERANDE

Jam dudum, multum et diu cogitauī,  
qua ratione TIBI, Comes Illustris-  
sime, testimonium, vt par est, ex-  
hiberem, quantum, pro gratia et benevolentia  
plane insigni, qua, jam per aliquot annos, me  
dignatus es, in me sit, erga TE, pietatis et gra-  
ti animi studium, sed nihil vnquam, quo ostend-  
erem, mihi obuium fuit. Jam huncce libellum  
in lucem edens, non video, quid obstet? quo mi-  
nus, occasionem tam opportune mihi oblatam,  
arriperem, palam praedicare, TE Patrono at-


que fautore, me vti, simulque pietati et obse-  
quio meo satisfacere. Offerre ergo TIBI,  
huncce libellum, et TVO judicio sacrum esse  
volui, id vnum optans, vthoc meae pietatis do-  
cumentum, propitiis manibus accipere meque  
etiam, in posterum, TIBI commendatissimum  
habere velis. Voto meo jungo votum, vt Deus  
TE saluum et incolumem, ad sera tempora, esse  
jubeat, quorum Votorum meorum compos fa-  
ctus diutissime permanebo

NOMINI TVO  
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSMIO

Dabam  
Halae d. xxx. Octobr.  
c:o:cc:lxxviii.

addicissimus  
Christianus Gotthelf Boehm.





DE  
DIFFERENTIA MATRIMONII  
IVRIS NATVRALIS ET CIVILIS.

§. I

**I**nter sociates absque dubio est prima societas coniugalis; instituta est ab hominibus, suadente physico corporis habitu, ut appetui innato, satis facerent atque genus suum propagarent. Est itaque fons atque fundamentum omnium societatum; et quam pro qualitate tam originis, quam naturae, est simplicissima; attamen, partim leges positivae, quas diuinum Numen, circa illam, tulit, partim instituta et mores, quos reipublicae, status naturalis euersores; excogitauerunt et introduxerunt, partim principia moralitatis, illam ita mutauerunt, ut simplicitas originis, plane evanuerit, et vix cognosci possit, quid circa illam, sit juris naturalis aut ciuilis. Propotius est nobis ergo, hanc congeriem discernere, arque disquirere, quid ab omni parte, justum sit. Sed cum haec consi-

consideratio tam laxae atque difficilis tractationis sit, ut ratio hujus dissertationis, non permittat omnia, ad hancce materiam, pertinencia, dijudicare, proposito satisfacere putamus, si opus concidamus, et illud per epitomen exhibeamus.

## §. II.

Diximus in praecedentibus societatem conjugalem a sua simplicitate recessisse, et institutis positius, tam Dei, quam hominum, nec non principiis moralitatis, esse circumscriptam. Ut ergo natura matrimonii juris naturalis, et in quo illud, a matrimonio juris civilis differat, plane perspici possit, necesse est, ut haec omnia rite secernantur, et remoueantur, et vtriusque fines recte definiantur.

## §. III.

Dispescitur vero ius naturae in stricte et late sic dictum. Illius tantum sunt, ea, quae recta ratio, ex eo deducit principio, quod concernit conditionem hominum externam, hoc vero simul Theologiam naturalem, et praecepta morum et politiae in se comprehendit.

## §. IV.

Cum nobis animus sit, essentiam matrimonii juris naturae, dignoscere, necesse est, ut illud, non ex jure naturae, late, sed stricte sic dicto, deriuemus, et in eo dijudicando, ad id tantum resipiciamus, quod tranquillitati externae pacique publicae, contrariatur; alias enim, non quod justum, sed quod decorum, vtile, honestum aut pium, circa matrimonium sit, diceremus, nec essentialia, sed tantum naturalia aut accidentalia proferemus.

## §. V.

Prius quam, ad definitionem matrimonii juris naturalis progrediamur, necesse videtur, ut ante omnia, de fine matrimonii solliciti simus, et illo definiendo, objectionibus occurramus, quae, propter varietatem opinionum, nobis ubique minantur.

## §. VI.

## §. VI.

Quaerunt vero illum, vel in procreatione sobolis, vel in mutuo coadjutorio; sed putamus, neutrum continere verum matrimonii finem. Namque sicuti mutuum coadjutorium, aequem commode, inter duos masculos et duas feminas, obtineri potest, ita procreatione sobolis effectus est, qui nec in arbitrio hominis positus est, nec semper sequitur, imo saepius plane est impossibilis. Hinc a parte Dei, procreationem sobolis, finem matrimonii esse, minime quidem dubitamus, a parte hominum vero, magis in extinctione libidinis, illum esse ponendum, arbitramur.

## §. VII.

Non deerunt, qui nobis objiciant, ardenter illam sexuum inter se proclivitatem, a sapientissimo Creatore, institutam esse, non ad inanem voluptatem satiandum, sed tum, ut eo jucundior inter conjuges esset conversatio, tum, ut libentius homines propagationi sobolis operam darent, et molestias tolerarent, quae susceptionem atque educationem comitantur. Exercitium et extinctionem libidinis vnicce spectatum, summam foeditatem et confusionem, in genere humano excitaturum, quippe ad quod, solo sanguinis aestu, impellimur, quod caeco impetu abrepti committimus, sanæ rationi nitari, et quae sunt hujus generis alia. Conf. PUFFENDORF de officio hominis et ciuiis Lib. II. Cap. 2.

## §. VIII.

Sed quamquam libentissime concedo, Creatorem, per huncce instinctum, procreationem sobolis, intendisse, et huncce effectum, nobis, summi nostri autoris intentionem, in hac re, intelligentibus, displicere non debere; tamen ex his nondum sequitur, eum esse finem primarium matrimonii, quia alias sequeretur, homines, dolores et molestias, quibus procreatio et educatio sobolis conjuncta est, studio quaerere, quod vero, naturae hominum, quae mala auersatur,

B

repu-

repugnat. Praeterea nuptiae vetulæ cum deponant nullæ nec matrimonium dici posset inter eos, qui in contrahendo matrimonio, de prole, plane non fuerunt solliciti, aut matrimonium sterile ducunt. Turpe et foedum vero esse, matrimonium inire, ut sanguini satisfiat, ex ea causa dici non potest, quia libido naturae conuenit. Illa enim, quotidie, annuente et creante numinis voluntate, cum homine ejusque sanguine et membris, nascitur, et inter homines exercetur, non damno magis, quam emolumento hominum eorum, qui moderandis cupiditatibus tamen student; ideo est natura sua, dens Phyllicum et naturale, nec malum, sed res indifferens, hominis felicitati, et prodesse et nocere, pro diuerso applicationis modo, apta, existens. Hinc sequitur, omnem libidinem, intentioni creatoris conuenientem, nec turpem et irrationabilem esse, multo minus juri naturae, stricte sic dicto, contrariari, quia illud, non de eo, quod turpe sit, sed quod pacem externam laedat, judicat, nec omnia, quae ex dictamine lanae rationis cognoscuntur, pro legibus juris naturae, sunt habenda.

#### §. IX.

Sed ex scriptura sacra, nequidem, probari potest, procreationem sobolis, a parte hominum, finem primarium matrimonii esse; multo magis S. PAVLVS I. Corinth. VII. v. 2. nobis adstipulari videtur dicens: Διὸ δὲ τὰς πορνείας ἔκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναικα ἔχετω, οὐδὲ εἴησι τὸν ἴδιον ἄδεξα ἔχετω, et versu nono: Εἰ δὲ οὐκ ἔγνωτεύονται, γυναικῶσαν; οὐδὲστον γάρ ἐστι γυναικῶν η πνεῦμα θεοῦ. Quamquam concedo, quod Paulus ideo noluisse, procreationem sobolis negligi et euitari posse.

#### §. X.

Hisce praemissis, pater, matrimonium juris naturae nihil aliud esse, quam maris et foeminae conjunctionem, corporis inuicem praebendi causa institutam, ut stimulanti libidini satisfiat.

#### §. XI.



## §. XI.

Cum vnicum verum et adaequatum axiomma juris naturae sit; neminem laede in suo jure perfecto; et quaecunque obligationes, quae ex hoc principio deduci non possunt, etiam, ex jure naturae, non sint decidenda, sequitur, jus naturae, matrimonium, non praecipere, sed permittere, et illud tantum, eatenus objectum juris naturae esse, quatenus hoc id permittat, et jura nubentium dijudicat.

## §. XII.

Ex definitione matrimonii juris naturalis, pater, marem et feminam matrimonium ineuntes, se inuicem sociare et in vnum finem consentire: Sicuti vero, haec coniunctio, societatem inuoluit, ita sequitur, omne nubentium jus, quod naturae est, consensu et pacto, deriuandum, et essentiam matrimonii juris naturae, solum ex pacto circa illud inito, dijudicandam esse.

## §. XIII.

Cum pactum, sub quavis conditione, non iusta, possibile sit, et sub die et in diem iniri possit; sequitur matrimonium juris naturae, haecce omnia, recipere, et concludi posse, sub conditione, quavis possibili, non iusta, sub modo, sub die, et in diem. Namque de jure naturali pacientium voluntati relictum est, an se velint in perpetuum, an ad diem, an aequaliter, an secus, obstringere.

## §. XIV.

Pacta ergo dant legem matrimonio juris naturae, et omnis libido, nec fini matrimonii, nec principio juris naturae, supra dicto, nec pacto, circa matrimonium initio, contraria, jure naturae est licita.

## §. XV.

Hinc sequitur, jure naturae, nullam dari sanguinis et affinitatis prohibitionem, nullam differentiam esse, inter conjugium, concubinum.

binatum et stuprum, bigamiam seu polygamiam; tam muliebrem quam virilem, non esse prohibitam, nec matrimonium esse vinculum indissolubile et perpetuum, nisi illud, ad dies vitae contractum sit, et tum etiam, ut aliud pactum, mutuo dissensu, dissolui posse, et diuertia tali modo existentia, juri naturae non esse contraria.

### §. XVI.

Ex antecedentibus etiam fluit, quamcunque conjunctionem, fini matrimonii contrariam, matrimonium dici non posse, ideoque, nec duos masculos, nec duas foeminas, matrimonium intrare, item neque masculum ad foeminae libidines extinguedas plane inhabilem, neque foeminam, ad coitum penitus incapacem, matrimonio iungi posse, initum vero, ob dolum et quia finis obtineri nequit, pro nullo haberi. Quapropter etiam in foro matrimonium, ob impotentiam et imbecillitatem membrorum genitalium, dissoluitur, minime vero ob sterilitatem.

### §. XVII.

Cum jure naturae homines sint inter se aequales, nec imperium in vxorem, nec patria potestas in liberos, ideoque etiam nulla obligatio, liberos alendi et educandi, cogitari potest, nisi haecce pacto constituantur.

### §. XVIII.

Supra jam diximus, matrimonium communi dissensu, vel si finis obtineri nequit, dissolui posse, nec putamus, de hujus rei veritate esse dubium. Tollitur vero quoque matrimonium, vel non existente conditione, vel tempore elapsō, vel modo non adimpleto, vel ob transgressionem pacti aut denegationem juris perfecti, ex matrimonio quæsiti.

### §. XIX.

Si pars nubentium, pacti leges transiliat, aut extraneus jus, ex pacto alteri quæsitus, violet, adulterium committit; quo factō, laeso quidem, jus vinculum societatis dissoluendi, competit, sed sicuti,

quili-



ebrem  
vincu-  
actum  
posse,  
.  
onem,  
eoque,  
item  
nhabiti-  
monio  
nequit,  
, ob-  
luitur,  
  
erium  
a obli-  
paeto  
  
si finis  
te esse  
istente  
vel ob-  
trimo-  
us, ex  
o, lae-  
ficiuti,  
quili-

quilibet juri suo renunciare potest, ita etiam in partis laesae arbitrio possum est, an societatem continuare, aut suo jure vti et diuortium facere velit; quae origo hodiernae remissionis et mitigationis poenae, ex hac causa delinquenti competentis, est.

## §. XX.

Sicuti autem, ad matrimonium, sensu communi consideratum, non pertinet, ne cum alio vel alia concubamus; sed hoc jus prohibendi, pacto constitui debet, ita, hocce pacto deficiente, adulterium nec committi potest, nec matrimonium, vtra parte nuptorum, cum alio concubente, dissoluitur.

## §. XXI.

Haec sufficient, ad perspiciemdam naturam matrimonii juris naturae; et quamquam, non me fugit, hancce doctrinam, a multis pernitiosam et detestabilem haberi, attamen puto, rem saluam esse, et aduersarios sententiae meae adstipulaturos, si deductis adjiciam, id, quod jus naturae permittit, aut non vetat; ideo non in genere licere. Non amplius viuimus in statu naturae, et in hocce quoque statu, in vita tegenda, non solum ratio habenda, quid justi, sed etiam quid pii, decori, et quid honesti sit. Ergo nec vilum hinc effrenatae audaciae fomentum, accedere potest. Multo minus, respublica inde detrimentum capere potest, quia quilibet societatis suae legibus, obtemperare debet, nec sapientissima Numinis diuini instituta, insuper sint habenda. Cum vero matrimonium juris naturae, basis matrimonii juris civilis sit, et utrumque, non essentialibus, sed tantum naturalibus siue accidentalibus, differat, ad definendam viriusque differentiam, et ut dignosci possit, quibus institutis matrimonium juris civilis, constatum sit, necesse fuit, ut illud, ex principiis justi deducatur, et a reliquis disciplinis secernatur. Confer. CHRIST. THOMASII *Fundamenta juris Naturae et Gentium*, EPHRAIMI GERHARDI *Delineatio juris Naturalis Libr. III. cap. II.* BREVNINGII *Philosophia justi Pars spec. Sect. I. Cap. 2.*

B 3

## §. XXII.

## §. XXII.

Progediamur ergo, ad disquirendum matrimonium juris ciuilis et jura illud comitantia. In consideranda vero hac materia inuenimus, essentialia matrimonii manere semper eadem. Matrimonium enim inuenites, in ciuitate se quoque sociant, et de corpore sibi inuicem praebendo, paciscuntur. Nec matrimonium juris ciuilis posset dici matrimonium, si, ab essentialia matrimonii juris naturalis, recederet.

## §. XXIII.

Veritas hujus rei etiam ex eo patet, quod nulla lex siue institutum, contra jus naturae, cogitari possit, praeter illud vero, quaevis dispositiones, non injustae, sint possibles, quae quidem formam rei mutant, et illam ampliant, essentialia vero semper in saluo maner.

## §. XXIV.

Sic cum matrimonio juris ciuilis comparatum est. Illud enim tantum, quoad naturalia et accidentalia, a matrimonio juris naturae, differt, quae partim leges diuinæ, partim leges ciuiles, partim praecepta moralitatis, circa illud, constituerunt.

## §. XXV.

Forma ergo matrimonii juris ciuilis hodierni, praeter ea, quae leges diuinæ et praecepta moralitatis, addiderunt, praecipue originem trahit, ex jure Germanico, et Romano ciuili et Canonico, et ut appareat, quid quodque contulerit, necesse est, ut jura et ritus cuiusque juris, quibus matrimonium juris ciuilis ejusque jura nitantur, exploremus.

## §. XXVI.

Naturam vero matrimonii iuris ciuilis perscrutantes, inuenimus, illud, a matrimonio juris naturae, praecipue differre, quoad præparationem, perfectionem, impletionem et sequelas siue finiendo modos.

## §. XXVII.



## §. XXVII.

Ad praeparationem referuntur praecipue sponsalia, quibus societas conjugalis contrahi promittitur, et quae, a prudentia ciuili ideo sunt introducta, ne haec societas, praecipitanter, sed maturo confilio et pleno consensu coëatur.

## §. XXVIII.

Haecce sponsalia, tum jus Germanicum, tum jus Romanum ciuile et Canonicum praerequirit, et ut illa valide celebrari et matrimonium illis promissum contrahi possit, postulatur paternus consensus et legitima sanguinis et affinitatis distantia. Ille jure Romano, vi patriae potestatis, jure Germanico vero magis reverentiae gratia, necessarius est, ex qua posteriori ratione, etiam apud nos, illum requiri putamus. Conf. G. L. BOEHMERI *Dissertatio, de necessario parentum consensu in nuptiis liberorum* Hala 1740. et WILLEMBERGIE *Selecta juris matrimonialis Lib. I. §. XCII. seqq.* Hoc posterius requisitum vero, sine dubio, ex legibus, quas Deus Reipublicae Iudaeæ, circa matrimonium, praescripsit, originem ducere putamus.

## §. XXIX.

Quamquam enim, tam jus Germanicum, quam Romanum ciuile et Canonicum, ex ratione politica, etiam certos gradus consanguinitatis et affinitatis constituit, in quibus matrimonium est prohibitum: attamen hasce dispositiones, aut ex reuelatione diuina ipsa, aut ex traditione, ortas et in ciuitate auctas esse arbitramur.

## §. XXX.

Sicuti sponsalia, communi consensu, contrahuntur, ita ex natura pacti sequitur, ab illis quoque communi dissensu recedi posse, quod etiam tam jus Germanicum, quam Romanum ciuile et canonicum permittit, immo illud vel licuit alterutri, poenitere, post sponsalia, et alteri nuncium mittere. c. 2. X. de sponsalibus L. 10. ff. de sponsal. KITZELLI *Synop. matrimon. Cap. VIII.*

11

## §. XXXI.



## §. XXXI.

Quamquam vero, hodie, nuptiis sponsalia praemittamus, et, in illis celebrandis, tam jus patrium, quam peregrinum sequamur, recesserunt tamen, ecclesiae, hacce licentia, conf. Can. LIV. Concilii Eliber-tini, et id quidem, ut dicunt, ob eam rationem, quia Deus, societas conjugalis, quae sponsalibus re promittitur, non tantum auctor et conditor, sed etiam conciliator singularum sit. Quapropter, in praejudicium diuinae concurrentis voluntatis, dissolutio, priuato con-natu, fieri non possit.

## §. XXXII.

Hacce præparatione peracta sequitur, perfectio matrimo-nii: quae est actus, quo ipsa societas conjugalis contrahitur. Fiebat ea, temporibus antiquioribus, apud Romanos, per coëmptionem et usum BACHOV ad inst. Libr. I. Tit. IV. HEINECCIVS antiqu. juris rom. Libr. I. Tit. IV. §. 8. PERRENONI Animad. juris Civ. Libr. 6. sed quia illi ritus, jam dudum, in desuetudinem abierunt, nec usum, ad nostra tempora reliquerunt, praetermittimus illos silentio, tan-quam ritus, ad jus antiquitatum pertinentes.

## §. XXXIII.

Desuetis itaque primis ritibus, simplex contrahendi matrimonii modus receptus est, per simplicem consensum, L. 30 ff. de regulis juris L. 15. ff. de Condit. et demonst. addita tamen, non raro, solemni deductione in domum, quae, cum solo consensu nuptiae perficerentur, ad essentiam matrimonii non pertinebat, sed tantum necessaria erat, ut vxor fieret iusta. HUBERVS in Praelect. ad ff. Libr. XXII. Tit. II. §. 2. DVARENVS ad ff. Libr. XXII. §. 2. SCHVL-TING Jurispr. antiq. p. 301. L. 22. Cod. de nupt. L. pen. pr. et §. 1. ff. de donat. inter virum et uxor.

## §. XXXIV.

Eius loco, Christianis moribus, recepta est, publicatio et copulario ecclesiastica. Namque solemní declarationi, sponsi pro marito

et

et sponsae pro vxore, quae, occasione deductionis in domum, in praesentia amicorum, et coram testibus siebat; moribus et jure Christianorum, adjiciebatur, ut illa etiam, coram sacerdote, fieret, siue publice, in conspectu totius ecclesiae localis, siue priuatis in aedibus, adhibitis testibus. Sed hoc erat non magis de essentia matrimonii, quam deductio in domum; vnde etiam saepius omittebatur. Tandem tum more, tum lege ciuili, tum canonibus ita stabilita est, ut si illa etiam, non per se, ad substantiam et essentiam matrimonii, requiratur, siquidem lex ciuilis, formam juris naturalis, tollere non potest, attamen, quia effectus juris tollere potest, et conjunctio coram sacerdote non contraacta, secundum hancce legem, nec matrimonium intelligatur, nec liberi inde legitimi nascantur, illam, in terris, vbi concilium Tridentinum receptum est, aut saltem parochi praesentia, in declaratione animi inchoandi matrimonium, certo respectum, omnino pro essentiali esse habendam putamus. Conf. BOEHMERI *Jus Eccles. T. III. Libr. IV. T. I. §. 22.*

### §. XXXV.

Germanis non solus consensus nuptias faciebat, sed, ex vero patro jure initium matrimonii, in solo concubitu aut posteriori aeno, consensione thalami, ponendum est, quando conjuges, primum concubentes, quasi possessionem thori conjugalis, adprehendunt; et sicuti, apud Romanos, consensus faciebat nuptias, et concubitus tantum erat effectus matrimonii; ita Germani sane naturalius statuunt, matrimonium, solo concubitu seu consensione thori, perfici et consummari. NIC. SLÜTER *Dissert. de variis matrimon. perfectionibus. PUTTERI Elem. juris Germ. §. 297. seqq.*

### §. XXXVI.

Refertur ergo hodie, perfectio matrimonii, ad duo capita; nempe, ad celebrationem publicam, quae in promulgatione trinis vicibus, et copulatione sacerdotali, consistit; et ad concubitum, siue coha-

C

coha-

cohabitationem, quae singula suis effectibus gaudent. Sicuti enim, sine copulatione sacerdotali, nec matrimonium intelligitur, nec liberi inde legitimi nascuntur, ita, si sponsus, siue sponsa, matrimonio concubitu seu consensione lecti, nondum consummato, morte praediantur, effectus quidem juris peregrini, non vero juris Germanici, illud consequitur, adeoque nec dotalitium, nec morgengaba, nec reliqua jura, ex natura matrimonii, siue pactis ea causa initis, proueniens, ad suum vigorem perueniunt, sed jure suo destituantur. Inter illustres ideo ritus fuit, ut post copulationem, solemniter deducerentur noui conjuges, ad thorum splendide praeparatum, et in eum pro cumberent, sed resurgerent statim, sola solemni sic apprehensa quasi thori conjugalis possessione.

### §. XXXVII.

Reliquum matrimonii implementum, in consorrio omnis vitae, cohabitatione, mutuisque conjugii officiis, in potestate maritali et subjectione conjugis, in alenda vxore, et educandis liberis consistit, quae omnia, praeter jus naturae, legibus diuinis, aut ciuilibus, ex ratione politica constituta sunt.

### §. XXXVIII.

Consortium omnis vitae siue nexus matrimonii indissolubilis, legibus stabilitus est, et spectant hoc praecipue verba Salvatoris nostri, quibus MATTHAEVS, capite decimo nono, jus et naturam societatis conjugalis, ex prima vera institutione ei fundamentali lege, nobis exposuit, dicens, mas et foemina, aetissimo vinculo, inter se conjuncti futuri, ita, ut quasi pro uno homine sint habendi, nam non duo homines, sed unus quasi erunt, et hoc vinculum, quod ipse Deus tam arte conjunxit, non humana temeritas dissoluet; et PAULVS in epistola ad Corinthios prima, capite septimo, versu decimo inquit: qui vincula conjugali sunt coniuncti, iis praecipio, sed ne dicarem ego Deus potius haec edicit, ne conjux vinculum conjugale cum

enim, liberi nonio pre- manici, ec reli- enien- Inter ciceren- m pro- fā quasi cum marito initum rumpat, et vir vxorem non dimittat: a qua fundatione, populus Judaicus, multum quidem recessit, jure tamen Christianorum, ad primaeuam et fundamentalem legem, ex precepto Christi, obligamur. BRUCKNER. *Decis. Juris matr. p. I. Cap. XIII.*

### §. XXXIX.

Quare etiam hodie diuertia ita legibus sunt coercita, ut, ob paucas tantum causas, et in specie, ob adulterium, priuato ausu vero plane non, sint permitta, non minus, concubinatus, pellicatus, polygamia, stuprum et ejus modi alia libidinis genera, sint prohibita. Conf. BRUCKNER. l. c.

### §. XL.

Potestatem maritalem, ius naturae, ob aequalitatem hominum, plane ignorat. Sed, si non veteri, saltem novo testamento jam Numen diuinum, marito imperium in vxorem concessit. Jure Romano, vxor justa in potestate viri erat, et Germanis etiam mariti partes potiores visae, dum illi non solum curam in personam et bona mulieris, tribuunt, sed etiam ius coercendi mulieris prauitatem illi permittrunt. DVARENVS ad Tit. ff. fol. matr. PVTTER. Elem. Jur. Germ. §. 303 seqq.

### §. XLI.

Ex hisce patet matrimonium juris civilis multum differre a matrimonio juris naturalis. Marito enim nullus vius bonorum vxoris competit jure naturali, conjuges sibi non succedant, donationes inter conjuges valent, iura et obligationes vtriusque conjugis erga liberos sunt aequalia, vxor non participat de dignitate mariti, hic illi non debet alimenta, et quae sunt ejusmodi alia.

### §. XLII.

Placuit itaque pro ratione eorum, quae in prioribus de essentia et perfectione matrimonii juris civilis dici posse videbantur, illud ita



ita definire et dicere legitimam conjunctionem maris et foeminæ, utrumque ad copiam sui corporis, in omnem vitam, alteri soli, procreandæ sibi causa faciendam, obligantem contractam. Conjunctionem animorum quam corporis intelligitur, legitima vero ideo appellatur, ut legibus Dei et principiis praeceptisque moralitatis sit conformis, et hac ratione omne delictum carnis et libido vaga excludatur.

## §. XLIII.

Plurima de hac materia adhuc dici possent, sed nec otium, nec ratio libelli permittunt plura addere, quare sufficiat pro nunc

T A N T V M .




Halle, Diss., 1777/8

VD18



f  
56







**Farbkarte #13**

1748 3

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**DIFFERENTIA MATRIMONII**  
**IVRIS NATVRALIS**  
**ET CIVILIS**  
QVAM  
ILLUSTRIS IVRIS CONSULTORVM ORDINIS

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
P R A E S I D E  
DANIELE NETTELBLADT  
POT. BOR. REGI A CONS. INT.  
ACADEMIAE FRID. DIRECTORE FAC. IVR. ORDINARIO  
ET P. T. DECANO

AD  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
RITE ORTINENDOS

D. XXX. OCTOBR. ANNO CICLO CCLXXVIII

**PUBLIC DEFENDER**

A V C T O R  
CHRISTIANVS GOTTHELF BOEHM

ADV DRES D

H A L A E  
T Y P I S G R V N E R T I A N I S

